

fragantur, non quælibet pars habeat Indulgentias, licet adhuc quælibet pars maneat benedicta, ita Gobat capit. 14. Denique ut aliquis sine sanis, five moribundus lucretur indulgentias concessas Rosariis, Medalis, Crucibus, &c. debet Rosarium, Medalium, Crucem secum habere, &c. debet portare, penes se habere: non tamen opus est, manibus tenere non Indulgentiam affectam. Gobat cit. cap. 12. n. 370. Sic enim volunt Bullæ concedentes similes indulgentias, in omnibus autem tenor Bullæ attendendus est. Hic factessunt negotium indulgentiarum concessarum Rosariis Birgitanis: de quibus infra ne indulgentiis in specie, in quarum concessionis Bulla, conceditur indulgentia iis, qui per, & super Rosaria S. Birgitæ devotè oraverint. Non videtur autem, quomodo aliquis possit per, & super Rosaria similia orare, nisi quis ea manu teneat, nisi forte quis dicat, etiam manum, seu manibus mutilum posse per, & super ipsa orare, & lucrari indulgentias ipsis concessas.

16 Petes: Quid nomine Rosarii, Coronæ, aut Psalterii intelligatur in Bullis Indulgentiarum.

Respondeo: Quando dicitur, talem, vel talem indulgentiam concedi recitanti Rosarium, per Rosarium absolute prolatum intelliguntur 50. salutationes Angelicæ, & 5. Pater Noster, nisi aliter exprimat, ut Summo Pontifice aut ex circumstantiis aliud colligatur. Per Psalterium Beatissimæ Virginis intelliguntur 150. salutationes Angelicæ, & 15. Pater Noster. Per Coronam Christi Domini: intelliguntur 33. Pater noster, & totidem Ave Maria, in honorem annorum, quibus Christus vixit inter mortales. Per Coronam Domine Nostræ, seu Beatissimæ Virginis intelliguntur 72. Ave Maria, & 8. Pater Noster. Quando Nomen Corona simpliciter, & sine addito ponitur in Bullis indulgentiarum potest accipi tam pro Corona Christi Domini, quam Beatissimæ Virginis, ita Gobat tract. 4. de indulgentiis p. 2. cap. 15. id probans ex Navarro, Cafarubio, & aliis: ubi etiam n. 408. ait, quod qui tenentur ex voto, aut penitentiis sacramentali, vel pro benefactoribus Religionum recitare Rosarium, satisfaciatur recitando 50. salutationes Angelicæ, & 5. Pater noster, nisi aliud, vel ex circumstantiis, vel ex intentione voventis, aut Confessarii colligatur.

QUESTIO I.

Quis possit Indulgentias concedere, & lucrari, & quid ad eas lucrandas requiratur?

SUMMARIUM.

- 18 Ad valorem indulgentiæ requiritur legitima potestas eam concedendi:
19 Quam habet Summus Pontifex pro omnibus fidelibus,
20 Ac etiam Episcopi pro suis Diocesibus,
21 An eam habeant etiam Regulares?
22 Ad concedendas indulgentias requiritur causa justa.
23 Indulgentias lucrari potest solus Homo baptizatus,
24 Non excommunicatus. 25. Subditus concedentis indulgentias. 26. & debitor penarum temporalium.
27 & 28 Ad lucrandas indulgentias requiritur status gratiæ.
29 An adeptus per Confessionem?
30 Item intentio eas lucrandi? 31. & qualis?
32 Et impletio operum pro iisdem lucrandis prescriptorum.
33 Quæ opera debeant impleri integrè; &
34 Ultimum saltem est in statu gratiæ.
35 Quid dicendum, si opera fiant cum peccato veniali?
36 An opera debeant fieri ab eo, qui lucraturus est indulgentias?

ASSERTIO II.

17 Summus Pontifex potestatem habet concedendi indulgentias omnibus Christi fidelibus, Episcopi verò tantum suis Diocesibus, cum causa tamen rationabili, & quantitati indulgentiæ proportionata, Indulgentias lucrari potest homo baptizatus, non excommunicatus, subditus concedentis indulgentias, & debitor penarum ex peccatis jam dimissis quoad culpam restantium. Ad eas lucrandas requiritur status gratiæ, intentio easdem lucrandi, & impletio operum pro iisdem lucrandis prescriptorum. Communissima apud Layman, Mastrius, Herincx, Gobat, La Croix & alios.

S. I. Indulgentias concedere potest Summus Pontifex, & Episcopi, Jure Ordinario.

18 Suppono, ad valorem indulgentiarum requiri ex parte concedentis legitimam potestatem spiritualem jurisdic-

tionis juxta supra dicta numer. 4. Ratio est, quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, cum distributio bonorum communium spectet ad illum, qui præest communitati, adeoque qui legitima præditus est potestate: atqui indulgentiæ sunt, & dantur ex bonis communibus Ecclesiæ: ergo debent distribui ab eo, qui habet potestatem spiritualem jurisdictionis in Ecclesiæ membra, seu fideles, quales sunt Ecclesiæ Prælati. Itaque

II. Summus Pontifex, accepta à Christo facultate, adeoque jure Divino indulgentias ex rationabili causa, fidelibus omnibus totius orbis concedere potest, ita Clemens VI. in extravag. Unigenitus, de Penitentia, & remissione, quæ preced. num. 2. in terminis formalibus adducta: item Doctores Seraphicus S. Bonaventura, Angelicus D. Thom. Irrefragabilis noster Alexander Alenfis; & Communissima, ac certa apud Layman libr. 4. tract. 7. cap. 4. num. 1. Patet ex illis Verbis Christi, Matth. 16. ad Sanctum Petrum dictis, Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis, & supra num. 3. explicatis; etque hæc potestas in Summo Pontifice Ordinaria, & ita quidem, ut illi competat ante suam Consecrationem; est quippe potestas jurisdictionis, non autem ordinis. Lugo citatus à Gobat tract. 4. de Indulg. p. 1. cap. 6. num. 54. Insuper solus Summus Pontifex potest concedere indulgentias, pro vivis, & pro defunctis: unde nec Concilium Generale sine Papa, five hic vivat, five sit mortuus, habet talem potestatem: Suarez, Layman, Bellarminus lib. 1. cap. 11. Diana p. 10. tr. 6. R. 12. cū communi. Ratio est, quia secundum dicenda quæ seq. Indulgentiæ pro defunctis applicantur per modum solutionis, offerendo prout ex Thesauro Ecclesiæ: solus autem Papa habet Claves Theauri Ecclesiæ. La Croix libr. 6. parte 2. numer. 1316. & 1348.

III. Episcopi habent limitatam potestatem concedendi indulgentias, ordinariam quidem, id est, ex vi proprii muneris, & à jure communi annexam suo officio, at tamen delegatam à Papa, ut habet communior cum Suarez, Molina, Bellarmino apud La Croix cit. num. 1319. Item Barbosa de potestate Episcopi alleg. 88. & in dedicatione quidem Ecclesiæ potest Episcopus dare indulgentias unius tantum anni: In Anniversariis verò dedicationis, & aliis etiam casibus, 40. tantum dierum, etiam in perpetuum, id est, recurrentes omni anno. Lessius in Aud. V. Indulgentia, Casu 1. Potest autem Episcopus concedere indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra Diocesim existentibus, & tantum per modum absolutionis, adeoque solis vivis, possuntque Episcopi hanc potestatem, cum sit ordinaria, alteri delegare, Lugo, Viva, La Croix num. 1320. Quod dictum de Episcopis, valet etiam de Archiepiscopis respectu totius Archiepiscopatus, cujus subditis, etiam extra tempus visitationis, potest simili modo concedere indulgentias. Barbosa supra. Nuntius Apostolicus potest subditis suæ Nuntiaturæ pro quocumque pio opere concedere centum aut plurium dierum indulgentias, at tamen semper minus, quam annum, templo, vel cappella potest dare indulgentias septem annorum, & septem Quadragenarum &c. vide La Croix num. 1321.

Prælati Episcopo inferiori, quamvis in cæteris habeant potestatem, quasi Episcopalem, non possunt jure ordinario concedere indulgentias, cum id nullibi concedatur. Multo minus Parochi, vel Confessarii. Bellarminus, & Barbosa supra. Cum tamen concessio indulgentiarum non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis, ideo potestas concedendi indulgentias potest ipsis, imò cuivis simplici Clerico delegari. Dominicus Viva de Jubilæo quæst. 5. art. 4. Et ita Leo X. Provincialibus nostris, & Gregorius XIII. Visitatoribus Societatis Jesu dedit facultatem concedendi Religiosis plenariam indulgentiam peracta visitatione Conventus. Idemque est de Monialibus S. Claræ, & Tertiariis in Congregatione viventibus. Ita La Croix lib. 1. nu. 861. & Noster Herincx p. 4. disp. 4. de Sacramento penitentia, q. 7. n. 61. qui addit, quod Alexander IV. concesserit, ut Fratres Minores, in quibuscunque Ecclesiis, vel locis prædica verint, possint suis Auditoribus dare indulgentias 40. dierum, Nominis Papæ, quando post Concionem dicunt; Indulgentiam &c. imò multo majores ex concessione variorum Pontificum, eos concedere posse, refert Collector nostrorum Privilegiorum V. Indulgentiæ, quoad seculares, & ex eo Hieronymus Rodriguez resol. 77. num. 57. Neque hujusmodi indulgentiæ sunt revocata per Paulum Quintum, qui revocavit indulgentias ante illud tempus Regularibus concessas. Nam loquitur de concessis specialiter iisdem Regularibus, & immediate per ipsos Pontifices: non autem de Privilegio, seu facultate concedendi Indulgentias, aut de Indulgentiis indifferenter concedentibus etiam cæteros Christi fideles. Monet tamen

men noster P. Gaudentius Kerckhove in statuta nostra Generalia cap. 7. §. 5. n. 23. Prædictas Indulgentias in his partibus à Cathedra non esse concedendas; quia hic non sunt in usu, & de facili turbarentur Episcopi ac Parochi, & commoverentur populi. Nihil tamen obstat, si Frater Minor, dum post prædicationem Verbi Divini dicit: indulgentiam &c. formet intentionem hæc verbis, nomine Papæ, concedendi suis Auditoribus Indulgentias, quascumque potest.

IV. Ut tamen valide concedatur Indulgentia, etiam à Summo Pontifice, requiritur causa rationabilis, & quantitati Indulgentiæ proportionata. Patet ex citata Extravag. Unigenitus, de Penit. & Remiss. Ubi Clemens VI. inquit, Christum Ecclesiæ Theaurum per suos Vicarios reliquisse dispensandum salubriter, & rationabilibus causis. Ratio est: quia Papa non est Dominus Theauri Ecclesiastici, sed solum dispensator, ex cit. Extravag. Unigenitus, & quidem in edificationem, & non in destructionem, 1. Cor. 10. foret autem in destructionem, si absque ulla rationabili causa dispensaret. Argum. c. Cum ex eo de Pen. & Remiss. ubi dicitur: Quia per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiæ Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contempnuntur, & Penitentiæ satisfactio enervatur. Insuper illa iusta causa, quæ requiritur ad valorem Indulgentiæ, debet esse distincta à generali causa finali Indulgentiarum, quæ est, ut in promptu habeamus, unde pro peccatis nostris DEO satisfaciamus. Ita docent Omnes Theologi teste Cardinale de Lugo, apud Gobat cit. c. 7. n. 87. Ratio est: quia si ad valorem Indulgentiæ non requireretur alia causa, quam ut per indulgentiam acquiritur in habeant Christiani, unde pro suis peccatis satisfaciant, sequitur, quod Pontifex possit singulis, ut ita dicam, momentis, omnibus Christianis in statu gratiæ constitutis, remittere omnem reatum penæ debitæ pro peccatis quibuscumque dimissis, & quod idem possit singulis momentis evacuae totum purgatorium: atqui hoc utrumque est alienissimum ab opinione, & persuasione fidelium, nominatim S. Thomæ in 4. dist. 45. qu. 2. art. 2. Docet denique Mastrius Theolog. Moral. disp. 23. qu. 3. art. 1. num. 40. cum communiori, & probabiliori Sententia S. Bonaventuræ, Cajetani, Suarez, Amici, & aliorum passim, causam ad valorem indulgentiæ requisitam debere etiam quantitati indulgentiæ proportionatam esse. Ratio est: quia si ad indulgentiam valide concedendam causa proportionata non requireretur, posset concedi indulgentia plenaria omnibus, qui semel tantum recitaverint Ave Maria, quæ indulgentia in maximum Ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum cederet; nam per ista duo Verba liberarentur ab omnibus penæ penitentis tam in hac vita, quam in futura debitis. Deinde sequeretur contra cit. cap. cum ex eo, nullam fore indulgentiam indiscriminabilem, & superfluum, cum nulla sit, quæ aliquam causam piam non habeat, si non proportionatam, saltem improporcionatam. Monet tamen Mastrius cit. num. 44. quod subditi in hac re non debeant temerè judicare, Papam ex irrationabili causa dedisse indulgentias, & valde periculosum esse, quascumque indulgentias, ex quibuslibet causis concessas parviscere; quia etiam indulgentiæ illæ, quæ usui gaudioque Benedictorum, Rosariorum & rerum similiarum, quæ minime videntur esse, ex causa maxime justa, & rationabili à Summis Pontificibus interdum conceduntur; ut notat Abellius, & ex eo Bellarminus h. l. de Indulg. cap. 12.

S. II. Indulgentias lucrari potest solus.

1. Homo baptizatus. Communissima. Ratio est: quia dispensatio Theauri Ecclesiæ nequit fieri, nisi in solos filios Ecclesiæ; cum Indulgentiæ fundentur in articulo Communionis Sanctorum: Atqui Homines non Baptizati Communionem Sanctorum participare non possunt: cum non Baptizati nondum sint ingressi Ecclesiam per Baptismum: Ergo non baptizati non sunt capaces Indulgentiarum.

II. Non excommunicatus. Patet ex eo; quia excommunicatio privat excommunicatum communionem bonorum Ecclesiæ, adeoque etiam Indulgentiis. Si tamen excommunicatus adhuc vivens verè contritus esset, & per eum non staret, quominus absolveretur ab excommunicatione, probabile est cū Navarro, & Sà apud La Croix lib. 6. p. 2. n. 1354. lucrari posse indulgentias per opera, quæ licitè exerceret si his annexæ sint; sic enim prudenter præsumimus de benigna voluntate Ecclesiæ, oppositum tamen est probabilius ob rationem datam. Similiter si excommunicatus sit in gratia mortuus, Navarrus, Henricus, & Filiucius putant, posse ei prodesse indulgentias; quia excommunicatio

videtur, tantum excludere à favoribus pro statu viz. Oppositum tamen est probabilius ob rationem jam datam; quia Ecclesia vi excommunicationis facit, ut pro excommunicatis defunctis non offerantur suffragia, neque applicentur. Dicaillus, Raynaudus, & alii apud La Croix cit. num. 1355.

III. Subditus concedentis indulgentias. Ex c. Quod autem 25 de Pen. & Rem. Quia actus concedendi indulgentias respectu vivorum est actus Jurisdictionis: Atqui Jurisdictio se non extendit nisi ad subditos: Ergo solis subditis conceduntur lucranda indulgentiæ, adeoque etiam hi soli eas lucrari poterunt. Quare indulgentiæ concessæ ab Episcopo non proficiunt extraneis, nisi è suis propriis Ordinariis habuerint licentiam, se quoad hoc alienæ Jurisdictioni, & remissioni subjicendi, quæ tamen licentia semper præsumitur adesse. Ita Marchantius, & Gobat de indulgentiis p. 1. cap. 6. Notant etiam Herincx, & Sannig, quod Privilegiati, & Exempti Religiosi etiam frui possint indulgentiis Episcopalibus: quia in hoc, utpote in causa favorabili se possunt subjicere Jurisdictioni Episcopi; quod etiam docent Suarez disp. 52. sect. 2. nu. 13. Filiucius, & alii apud Gobat cit. num. 62.

IV. Debitor Penarum ex peccatis quoad culpam jam remissis restantium. Ratio clara est: quia penæ temporales nequeunt ei relaxari per indulgentiam, qui nullis est obnoxius: ergo ut aliquis sit capax indulgentiæ, debet esse debitor penæ temporalis ex culpa jam dimissa restantis; si quidem per indulgentias juxta supra jam dicta non remittitur culpa, sed pena temporalis restans, & residua ex culpa jam remissa. Ex quo sequitur, infantes, & perpetuo amentes non esse capaces indulgentiarum, quia cum isti peccatum personale habere non possint, nec possunt habere penam ex tali peccato restantem; cum tamen indulgentia solum penas ex peccato personali dimisso restantes tollat. Penæ equidem debita propter peccatum Originale tolluntur omnes per Baptismum, uti diximus supra de Baptismo effectibus. Item sequitur Beatos non esse capaces indulgentiarum, cum nullus penæ sint debitores: Nec damnati sunt capaces indulgentiarum: quia non sunt capaces remissionis peccati: ergo nec remissionis penæ ex illo relicta, quamvis enim plures damnati præter penam æternam ex peccatis commissis, & non condonatis contractam, habeant etiam aliquam penam temporalem, quæ ex peccatis in hac vita condonatis relicta fuit, pro qua dignam penitentiam non egerunt; illa tamen, vel per conjunctionem cum peccato damnatorum irremissibili, fit per accidens irremissibilis, & æterna, ut dicunt Thomistæ; vel si terminum habet in inferno, & ibi perfolvitur, ut ajunt Scotistæ, tamen talis penæ temporalis solutio non fit per satisfactionem ex meritis Christi, quibus sunt indigni, & incapaces, sed per satis passionem etiam involuntariam.

Contra prædicta objici possent. I. Quod Cathemeni proprio actu perfectæ contritionis, vel amoris DEI super omnia Justificati sint capaces indulgentiarum, ut docent Henriquez, Navarrus, Corduba, & alii; & tamen non sunt baptizati. II. Quod Papa sit capax indulgentiæ, & tamen non est subditus sui ipsius, tamquam indulgentias concedentis. III. Quod animæ in purgatorio sint capaces indulgentiarum, nec tamen sint subditæ Summo Pontifici; quia huic tantum data est potestas solvendi super terram, non sub terra. Resp. Ad I. Licet affirmet aliqui Cathemenos Justificatos, maxime in purgatorio existentes, esse indulgentiarum capaces, communior tamen & probabilior opinio apud Mastrius cit. qu. 4. numer. 55. Negatur quia per Januam Baptismi fluminis, & hujus Characterem nondum sunt ingressi Ecclesiam, adeoque necdum sunt Theauri Ecclesiastici ab Ecclesia in suos filios dispensandi capaces: tum quia non est recepta consuetudo in Ecclesia, & praxis, concedendi indulgentias Cathemenis, & aliis Baptismi Characterem carentibus; sed fidelibus dumtaxat, quorum Nominis juxta communem Ecclesiæ loquendi modum illi intelliguntur, qui Baptismum fluminis susceperunt. Ad II. Resp. cum Mastrius cit. qu. 2. n. 25. Quod Papa indulgentias concedens, dupliciter considerari potest: Primò, quatenus est caput Ecclesiæ, cui à Christo potestas indulgentias concedendi commissæ est, seu ut Persona publica, & Superior; & quatenus est membrum in eadem Ecclesia contentum, seu ut est Persona privata. Itaque Papa ut caput Ecclesiæ, & Persona publica à Christo constituta non solum aliis, sed etiam sibi indulgentias concedere potest, ut Personæ privatæ sub eodem corpore Ecclesiæ contentæ, quatenus servando conditiones ad lucrandas indulgentias à se definitas, ipse etiam tamquam Persona privata, & ejusdem communitatis membrum illas participat; in concessione enim indulgentiarum non requiritur, ut concedens, & ille, cui conceduntur sint

Personæ physice distinctæ, sicut requiritur ex institutione Divina in absolutione sacramentali, ac etiam in actu jurisdictionis contentiosæ, vel coactivæ: non tamen in exercendo actu Jurisdictionis voluntariæ, cum Superior secum ipso dispensare possit, si habeat potestatem, etiam delegatam generaliter dispensandi cum omnibus, nisi aliunde contrarium colligatur. Ita Herincx de Legibus disp. 4. qu. 2. num. 34. & de Sacramento Penitentiæ disp. 4. qu. 6. num. 36. Ad III. Respondeo, quod animabus in purgatorio concedantur indulgentiæ, non per modum absolutionis, sicut conceduntur vivis, sed per modum suffragii, ut pluribus dicitur qu. seq.

§. III. Ad lucrandas indulgentias requiritur status Gratiæ, & intentio.

28 I. Requiritur status gratiæ. Communis tam Antiquorum, quam Recentiorum apud Magistrum citatum qu. 4. num. 60. & expressè deducitur extravag. Unigenitus, de penitent. & remiss. in qua Pontifex ait, eos, qui indulgentia usi sunt, amicitia Dei participes effectos esse, quibus verbis supponit, indulgentiam suam effectum non conferre, nisi disponentibus se per gratiam ad illam lucranda; cum enim per ipsam indulgentiam amicitia Dei participes fieri nequeant, quia per eam gratia sanctificans non confertur, supponi jam debent amici, & in statu gratiæ; & ita etiam constat ex perpetuo usu, & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam indulgentiam concedit, nisi in penitentibus, & contritis, ut patet ex Bullis Pontificum, quibus indulgentias concedere solent, & sicut aliena suffragia non profunt iis, qui non sunt in gratia, sic nec Christi, vel Sanctorum satisfactiones per indulgentias applicatæ. Accedit Ratio, quia cum indulgentia sit Privilegium, favor, & magna gratia, non præsumitur Deus hoc privilegium, favorem, & gratiam velle communicare suis inimicis, sed Amicis, quamvis etiam illos, scilicet suos inimicos ad culpam dimittebant, & Justificationis gratiam assequendam adjuvare non cesset. Deinde est commune axioma: Ut indulgentia valeat, requiritur in concedente Auctoritas, in causa pietas, & in suscipiente Charitas. Denique per indulgentias remittitur poena: hæc autem remitti nequit, nisi remissa culpa saltem mortali; culpa enim venialis non impedit: quin aliquis pro aliis peccatis jam remissis possit consequi indulgentiam, cum non impediat remissionem aliorum peccatorum quoad culpam.

29 II. An autem susceptor indulgentiarum debeat esse in statu gratiæ per Confessionem sacramentalem. Communis est DD. sententia apud Magistrum cit. nu. 63. non esse necessariam Confessionem, sed sufficere, ut indulgentiam suscepturus existat in gratia sanctificante per Contritionem perfectam, modo in Bulla non requiritur Confessio. Ratio est, quia existens in gratia per Contritionem est capax indulgentiarum, nec superior concedens indulgentias requirit Confessionem, ut supponitur; ergo in tali casu non est necessaria Confessio. Ita Navarrus, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Faber, & alii passim. Si verò in Bulla concedente indulgentias requiritur Confessio: non sufficit susceptorem indulgentiæ esse in gratia per Contritionem, sed necessaria est Confessio secundum probabiliorum, & tutiorem sententiam, si susceptor sit sibi conscius alicujus peccati mortalis, quamvis de eo contritus sit. Ratio est, quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, & explicandæ sunt, sicut in Bullis exprimitur; atque in Bulla exprimitur confessio, ut supponitur: Ergo. Quod etiam verum est, etiam si in Bulla dicatur, quod contritis, & confessis concedatur indulgentia, quia particula, & non est disjunctiva, sed conjunctiva, & copulativa: dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit. Notanter autem dictum est, si susceptor indulgentiæ sit sibi conscius alicujus peccati mortalis. Nam si nullum mortale peccatum post ultimam Confessionem commisit, satis probabile est, actuale Confessionem non esse necessariam, nisi summus Pontifex aliter declaret. Ratio est, quia Susceptor indulgentiæ in casu proposito dici potest Contritus & Confessus ad effectum consequendi indulgentiam: cum habitualiter in prima Contritione, & Confessione permanere censetur, ac etiam si post illam in aliquod veniale lapsus sit; ad Confessionem venialium non tenetur, modo in Bulla venialium Confessionem non exprimitur. Ratio est, quia quando in Bulla exprimitur Confessio, intelligitur de Confessione mortalium; tum quia Confessio simpliciter, & absolute prolata ex communi usu, & sensu Ecclesiæ mortalium Confessio censetur; atque ideo sicut Ecclesia venialium Confessionem præcipere non solet, ita neque consuevit ad consequendam indulgentiam;

venialium Confessionem requirere: tum quia Confessio tantum videtur exigi tamquam certius, & securius medium obtinendi Justificationem; vel tamquam necessariam ac Commune, quæ frequenter præscribitur. Ita præter Auctores supra citatos, Magistrus citatus, & Herincx cit. qu. 11. num. 80. Quod si quis post peccatum mortalem pro lucranda indulgentia, recordaretur peccati mortalis inculpabiliter oblitus in Confessione, licet illud teneretur adhuc confiteri ante communionem, ratione præcepti sive Divini, sive Ecclesiastici obligantis, juxta communem sensum Theologorum & consuetudinem fidelium, ad Communionem præmittendam Confessionem sacramentalem etiam illius peccati mortalis, cujus quis in Confessione ritè facta oblitus est, & post eam recordatur; non tamen teneretur illud confiteri in ordine ad lucranda indulgentiam, quia non constat Papam hoc requisivisse ad lucranda indulgentiam, quod Christus & Ecclesia requisivit ad sumendam Eucharistiam. Ita Dominicus Viva de Jub. qu. 8. art. 3. cum Fausto, Præposito, Palao, & Vasquez.

III. Ad lucrandas indulgentias requiritur intentio eisdem lucrandi. Communis DD. Ratio est, quia invito non conceditur beneficium, sed volenti; atque indulgentia est beneficium: ergo non invitus, sed ea uti volentibus obvenit; adeoque ut quis lucratur indulgentiam, debet habere intentionem ea lucrandi: Sufficit tamen per se loquendo ad eas lucrandas intentio interpretativa, quam quis Christianus suæ salutis meliori modo promovendæ studiosius habere censendus est, qui utique volet, universis sibi per sua bona opera prodesse, quantum potest; aliam enim præter hanc necessariam esse, nec praxis evincit: ex more certe universali receptum est, ut etiam moribundis omni sensu, & intentione formali destitutis concedantur indulgentiæ, & nos per bona opera, quæ aut nos ipsi facimus, aut alii nobis infertis applicant, satisfacimus pro nostris peccatis; esto non sciamus, nos per illa satisfacere. Ita Gobat de indulg. p. 1. c. 14. d. n. 163. Pellizarius, & alii Gobat cit.

IV. Si tamen ad lucranda indulgentiam præscribitur alicui operi certa intentio, non est dubium; quin opus præscriptum sit peragendum ad præscriptam intentionem. Non tamen videtur necessarium, ut dum te accingis ad opus præscriptum faciendum, recorderis distinctè intentionis præscriptæ v. g. ut conservetur concordia inter Principes Catholicos &c. Sed sufficit, ut memineris ejusdem saltem confusè, modo prius illius notitiam habueris, quando v. g. adivisti promulgari indulgentiam, vel Jubilæum, quia sic consilium infirmitati rudium, qui nequeunt diè memoria retinere ejusmodi intentiones, maxime, si plures sint. Si quis autem nullam præscriptam intentionem notitiam habuerit, non faciet opera præscripta modo debito, juxta Gobat, tract. de Jubil. c. 12. et si ante illorum executionem dicat: *Isud opus offero Deo ad intentionem Papæ, si quam præfixit, quæcumque illa sit*: quia (ait Gobat cit.) Papa non proponeret fidelibus tantam varietatem intentionum in Bullis, nisi cum ea conditione, ut illas cognoscat, & ex illarum cognitione faciant opera præscripta. Non deerunt tamen haud dubie, qui etiam taliter operantes satisfacere judicabunt. Si tamen intentioni à Papa præfixæ adjungas adhuc aliam, reddes indulgentiam, si non irritam, certe dubiam, quia una oratio pro multis facta, non tantum prodest singulis eorum, quantum prodesset, si pro singulis seorsim fieret. Porro intentiones, quas hodie Pontifices communiter præscribunt, sunt sequentes: I. Pro Exaltatione S. Matris Ecclesiæ Catholicæ. II. Pro extirpatione Hæresum. III. Pro Concordia Principum Christianorum. Subinde addit summus Pontifex intentionem, ut pro sua salute oretur.

§. IV. Et impletio Operum pro iisdem lucrandis præscriptorum.

Est certa. Ratio est: Quia indulgentiæ solent alligari alicui operi bono, v. gr. visitationi alicujus Ecclesiæ, & cætera. Item Confessioni, Communioni, Eleemosynæ, Jejunio, aliive operi bono: Ergo sicut alia gratiæ conditionata concessæ, non nisi impleta conditione sortiuntur suum effectum, ita nec indulgentiæ habebunt suum effectum, nisi impleta conditione, atque peractis operibus præscriptis. Ex quo

30 Sequitur, quod opera ad consequendam indulgentiam præscripta debeant impleri integrè, ita, ut si aliqua pars notabilis omittatur, ex quacumque etiam rationabili causa v. gr. impotentia, oblivione &c. nihil omnino obtinebitur de indulgentia, nisi aliud in confessione indulgentiæ exprimat; quia indulgentia conceditur indivisibiliter pro toto opere.

opere. Ita post S. Antoninum & Paludanum, Suarez, Gobat tr. 4. de indulgentiis, part. 1. c. 17. nu. 189. Si verò pars minima omittatur, est opinio magnorum Doctorum, ut Suarez, Palao, Layman, Fillucii, Bonacina, Diana, & aliorum apud Gobat cit. nu. 190. indulgentiam adhuc acquiri; eò quod & parum pro nihilo reputetur, & omisso minima pars non efficiat, quominus ipsam possit absolute, & moraliter dici executioni mandatum.

34 II. Sequitur, si plura opera pro lucranda indulgentia præscribantur, requiri, ut ultimum eorum fiat, vel saltem finiatur in statu gratiæ. Ita Suarez disp. 52. sect. 2. Layman l. 5. tract. 7. cap. 6. nu. 2. Sotus, Navarrus, S. Antoninus, Diana, Gobat cit. cap. 12. num. 152. Ratio est: Quia dum ultimum opus finitur, obtinetur effectus indulgentiæ, scilicet remissio poenæ temporalis; hic verò, cum nequeat obtineri, nisi ab eo, qui est Amicus DEI, juxta dicta §. præced. nu. 28. Necessarium erit, ut ultimum opus fiat in statu gratiæ; quare optime faciunt, qui opera præscripta finiunt Confessione, & Communione. Dixi ultimum opus: quia non est necessarium, ut opera priora fiant in statu gratiæ (nisi Papa id specialiter requiratur, ut cum dicit, opera esse faciendæ à verè poenitentibus) Ratio hujus à priori est, quia indulgentiæ effectus non provenit ex dignitate operis pro lucranda indulgentia præstiti, sed ex Christi meritis, & satisfactionibus: ergo non est necessarium, ut illud sit satisfactorium, sed sufficit, modò tunc non adsit obex gratiæ, & remissionis poenæ temporalis, quando conferenda est indulgentia. Ratio verò à posteriori est praxis Ecclesiæ, quæ subinde ad Jubilæum, vel indulgentiam consequendam requirit jejunia, & Confessionem, supponendo Confessionem non præmitti, sed subsequi saltem ante finem ultimæ hebdomadæ ad Jubilæum lucrandum, & per consequens jejunia sæpè non sunt in statu gratiæ; Licet verò talia jejunia non sint meritoria de condigno, merentur tamen aliquid de congruo. Confessio sacramentalis verò necessariò debet esse valida, vel saltem non sacrilega, sicut etiam Communio, ut per eas obtineatur indulgentia. Ratio est: tum quia tales utique requirit summus Pontifex: tum quia actiones sacrilegæ sunt mortaliter peccaminosæ, & nec de congruo meritoria. Si quis tamen confiteretur invalidè sine sua culpa; & haberet contritionem perfectam, adhuc consequeretur indulgentiam; quia tali moraliter impossibilis esset confessio valida; Papa autem non requirit aliquid impossibile ad consequendam indulgentiam: aliud foret; si quis communicaret invincibiliter oblitus peccati mortalis, de quo nec contritionem, nec Attritionem eliciisset, talis enim non fieret particeps indulgentiæ: quia possit elicere contritionem, vel saltem Attritionem, & sic dignè communicare. Ita Dominicus Viva de Jubilæo, quest. 8. art. 3. & 4. quamvis Bossius affirmet contrarium quoad hoc, modò ultimum opus fieret in gratia.

35 III. Sequitur, si per opus à Papa requisitum ad indulgentiæ consecutionem, possit obtineri finis ab illo intentus, et si fiat cum peccato veniali, v. g. si largior Eleemosynam cum vana gloria, tunc per tale opus potest adhuc obtineri indulgentia; si verò per tale opus cum peccato veniali factum, nequeat obtineri finis à Papa intentus, etiam per tale opus nequit obtineri indulgentia, v. g. si quis funderet preces cum voluntariis distractionibus, per tales preces non impetratur à DEO, v. gr. concordia Principum, extirpatio hæresum, &c. qui est finis intentus per tales preces. Ita Bellarminus l. 1. de indulgent. cap. 13. Layman cit. cap. 6. n. 4. Tannerus tom. 4. disp. 6. qu. 7. dub. 4. n. 81. & alii apud Gobat cit. cap. 17. num. 199. Nihil tamen obicit valori indulgentiæ, etiam si operi præscripto adjungatur peccatum veniale, merè concomitanter se habens ad opus præscriptum, ut si, dum precaris DEUM pro necessitatibus Ecclesiæ, habeas parvum odium erga proximum. Gobat num. 201.

36 IV. Sequitur, opera præscripta debere fieri ab ipso, qui lucraturus est indulgentiam, & non per alium. Gobat nu. 204. Quia communiter hæc videtur esse mens summi Pontificis, quando v. gr. præscribit preces, visitationes Ecclesiarum, jejunia, &c. Bonacina p. 4. n. 24. Excipitur Eleemosyna, quæ etiam per famulum potest fieri à Domino. Suarez d. 52. sect. 2. Gobat tract. 3. de Jubilæo, c. 11. n. 62. quia etiam tunc Dominus censetur moraliter, & propriè dare Eleemosynam; nec præjudicat Juri acquirendæ indulgentiæ, et si ille famulus sit in statu peccati mortalis. Suarez cit. quia famulus est purum instrumentum, quo mediante datur Eleemosyna. Nec est necessarium, ut opera pro lucranda indulgentia præscripta non sint aliunde debita ex præcepto, v. gr. vel voto: ita contra Sylvestrum docent Corduba, Benzonijs, & alii passim apud

Gobat tr. 4. de Indulg. p. 1. c. 14. n. 172. Ratio est: quia videmus jejunia Jubilæorum sæpè etiam fervari in Quadragesima. Hinc si tempus Jubilæi incidat in tempus Paschale, eadem communiōne satisfiet Jubilæo, & præcepto Ecclesiæ de Communiōne Paschali. Denique Communio præscripta pro lucranda indulgentia, non debet necessariò fieri in ea Ecclesia, in qua sunt lucranda indulgentiæ (in qua tamen sunt fundendæ preces pro indulgentiis lucrandis præscriptæ) exceptis indulgentiis mensuræ Communions generalis, & confraternitatis Rosarii, & ubi forte in alia Bulla indulgentiarum præscribitur Communio peragenda in Ecclesia, in qua lucranda sunt indulgentiæ. Gobat tr. 3. de Jubilæo, cap. 27. num. 192.

QUÆSTIO III.

Quem Effectum causet indulgentia, tam in vivis, quam in defunctis.

SUMMARIUM.

- 38 Per indulgentiam non remittitur peccatum;
39 Sed poena temporalis in hac vel altera vita luenda,
40 Etiam poenitentia Sacramentalis.
41 Qualis poenitentia tempore indulgentiæ sit injungenda?
42 Indulgentiæ possunt etiam defunctis applicari?
43 Vivis applicantur per modum absolutionis, defunctis per modum suffragii.
44 Indulgentiæ profunt defunctis infallibiliter.
45 Solvitur obiectio.
46 Quid requiratur, ut indulgentiæ profint defunctis?
47 Indulgentia equaliter participatur etiam ab inequaliter dispositis.
48 Qualis devotio requiratur ad peragenda opera pro lucranda indulgentia præscripta?
49 Diverse indulgentiæ nequeunt uno, & eodem opere obtineri.
50 An licita sit Communio quotidiana ad lucrandas indulgentias?
51 An sæpius possit obtineri indulgentia, si sæpius opus injunctum peragatur.
52 An quis per diversos actus possit eodem tempore adipisci diversas indulgentias?
53 An recedente fictione, seu peccati obice indulgentia reviviscat?

ASSERTIO III.

Effectus indulgentiæ est remissio poenæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis residua, & restantis, quæ tamen vivis obvenit per modum absolutionis habentis annexam solutionem, defunctis verò per modum suffragii, seu exhibitæ satisfactionis: equaliter participatur etiam ab inequaliter dispositis: uno & eodem opere nequit obtineri diversarum indulgentiarum effectus. Communis apud Layman, Gobat, Magistrum, Herincx, & alios.

§. I. Effectus indulgentiæ est Remissio Poenæ temporalis &c.

38 I. Suppono cum communi DD. Sententia, indulgentiæ effectum non esse remissionem peccati sive mortalis, sive venialis, ut patet ex definitione indulgentiæ supra data, sed remissionem poenæ temporalis ex peccatis quoad culpam jam dimissis residua & restantis. Ratio est: quia peccatum mortale non remittitur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, ac etiam remissio peccati venialis de lege ordinaria fit per infusionem alicujus gratiæ, sed indulgentia non confert gratiam: ergo. Deinde Ecclesia concedit semper indulgentias fidelibus contritis, vel confessis: ergo præsupponitur deletio peccati quoad culpam ante indulgentiæ consecutionem. Nec obstat, quod subinde in Bullis indulgentiarum dicant Pontifices, se fideles à culpa & poenâ absolvere; nam ut communiter Doctores advertunt, ly à culpa, idem significat, quod ab effectu culpæ, scilicet poenâ temporali ex culpa seu peccato relicta; nam etiã in Divinis litteris nomine peccati intelligitur interdum poenâ temporalis debita pro culpa; ut constat ex 2. Machab. 12. sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur, & est Ecclesiæ praxis sic vocare poenarum reatus, ut patet ex pluribus collectis, quibus utitur in officio, & missis defunctorum. Ita Magistrus Theol. Moral. disp. 23. q. 2. n. 26. citans plures. Quia verò duplex poenâ temporalis in homine ex condonatis peccatis